



125

Illustriſimo & Celiſſimo Principi ac Domino,  
DOMINO

2

JOHANNI  
ERNESTO JUNIORI,  
Duci Saxoniae, Juliæ, Cliviæ, &  
Bergæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Mis-  
niæ, Comiti Marchæ & Ravenspurgi, Domino Ravenstenii,  
Academiæ Jenensis Rectori Magnificentissimo,  
Domino suo Clementissimo,


Duodecimam Magistratus Academicorum prorogatio-  
nem & publicam renunciationem, que facta die  
21. Febr. A. O. R. id est CXIV.

Cum bonis omnibus subjectissimè gratulantur  
cives Academiæ JENENSIS infra scripti.



J E N Æ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.



# I N D I A

I.

Unc, quia suscipitur renovatio Rectoratus,  
Debetur summo gratia summa D E O.

Et non immerito: Repetit nam Sceptra JOHANNES

ERNESTUS, tali dignus honore iterum.

Bissenis vicibus JENAE jam captat habens,

Ut regat hanc mirâ dexteritate Scholam.

Illius assiduè major sapientia crescit:

Ætatem superant, quæ tenet, atque facit.

Namque lubens fidis est Præceptoribus usus:

A quibus in studiis commoda multa tuit.

Biblia quotidiè legit, ut quoq; scripta Lutheri,

Tanquam sincerae religionis amans.

Nititur, egregiis verè virtutibus auctus:

Moribus ut patriis præditus esse, queat.

Hactenus idcirco Gallos lustravit, & Anglos:

Disceret ut rebus non nocitura suis.

Exemplis etenim, bona si sunt, multa docentur:

Si modò quis rectè noverit ista sequi.

Hoc scio: quod Princeps noster, facturus id ipsum,

Sit satis optatum promptus ad obsequium.

Salvus, & in columis prope, sicut spero, redibit.

Ædes ad patrias, auxiliante D E O.

Afferet adveniens Matri solatia secum:

Fratribus & septem dulce levamen erit.

Gaudia percipiet classes Salana per omnes,

Tempore, R E C T O R E M, quo, rediisse, sciët.

Singula membra scholæ, lætissima, lætabuntur:

Cùm Præceptores, tûm quoque discipuli.

Plaudent & Cives: quia R E C T O R E M quoque nostrum

Julia nunc novit, Clivia, BERGA D U C E M.

Hujus ubi rursus Regionis venit ad oras:

Omnia Saxoniæ Dux S A P I E N T E R ager,

Nec

Nec non CONSTANTE; quoniam debet utraq; virtus  
 Illum; qui, prudens, sceptra tenere, cupit.  
 Legibus armatus fiet, decoratus & armis:  
 Id bene perficiet, quod bene coepit, opus.  
 In populum regimen simul ac est noster adeptus  
 Princeps: subjectos sedulitate reget.  
 Semper erit curæ Rectori gloria Christi:  
 Quo Patriæ vigeant oppida, templæ, schola.

Ambrosius Reudenius. D.

**B**is senis cyclus completur mensibus anni,  
 Signaq; Sol tantum per duodena salit,  
 Tu quoque Saxonie Sol, o Sol auree Ruta.  
 Nostræ SALANÆ flammæ Phœbe Schola  
 Undenos Rectoralis permensus es anni  
 Orbis, en orbis nunc duodenus adest.  
 Hunc etiam ardenti Princeps pede feruidus intras,  
 Inq; SALAM ignitas dejaculare faces  
 Et tamen hoc absens: quid mirum? Soles, & ut Sol,  
 Spargis in abjunctos hoc radiale jubar.  
 Muneris integrum ceu Sol tamen perficis annum.  
 Omne quod est, proprium pectore Solis habes.  
 Perfice Magnifici tu meipsem muneris istum.  
 Hic consumatus totus & annus erit.  
 Sed quid tum facies? divine revertere, Princeps,  
 SALAM à se motis vise reversus aquis.  
 Magnus ab integro annorum tibi nascitur ordo,  
 En annus major nunc peragrandus erit,  
 Qui modò Phœbus eras Jenæ tantummodo, verus  
 Terra Saxonica ru modo Phœbus eris.  
 Dive redi Princeps, annum feliciter istum.  
 Incipe, magnum annum, magnum opus istud adi,  
 Nec tamen absolve hunc o Dux velocius annum.  
 Quam Sol & quam annus desinit esse quod est.

Antonius Varus Med. D. & Professor Jenæ humilium  
 subjectionis ergo,

ANACREONTICUM.

**L**aboriosa virtus  
Et fructuosa serum  
Non operitur ævum  
Sed antevertit annos,

Comansq; delicatos  
Fructus simul profundit.

En Hercules in ipsis

Cunis duos colubros

Cum se peti videret, audiret

Elidit, atq; longam

Nuper sinus plicantes,

Et ore sibilantes,

In litteram figurat.

Idem tuâ JOHANNES

ERNESTE, magne Princeps,

Major future, quondam

Et maximus potentum

Germanie Virorum,

Maturiore dudum,

Virtute, comprobasti.

Puer tenellus ignis

Scintillulas latentis

Et plurimas favillas

Mittens leves in auras

Tot indolis decoræ

Tot ingenî venusti

Animiq; non nocivæ

Elementa prodidisti.

Mox largiore flamma

Splendens mitore direcum

Te puberem, reluxit

Lambens tuumq; pedus

Et spicæos capillos;

Et labra molli cella.

Et aurei sub atrâ

Rami crepantis umbrâ

Iter viamq; signans

Honore te beavit.

Quid restat ergo? quidnam  
Princeps verende dicam.

Ut hoc jubar coactum

In lucidi micantem

Solis globum coruscet

Magis magisq; donec

Et patriam per omnem

Fundatur, atq; seros

Clarescat ad nepotes.

Hæc ergo JANE Princeps

In tevidens reposta

SALANA nostra senos

Fasces tibi per annos

Concredidit, tueq;

Clementie sub umbra.

Vigilantia sub alis

Fidei q; sub latebris

Feliciter quevit,

Aëstusq; luctuosos

Inter, vagosq; fluctus

Te sutilem rogante

Cymbam beatitatis

Portu recepta longos

Condit laboriosis

Soles, dicatq; Musis.

Salve benigne Princeps

Princeps amice cœlo,

Princeps amice terris,

Princeps

Princeps bonis amandē  
Princeps malis timende,  
Nostrilubens habenās  
Jam denuō Lycei  
Capesse, nec tueri  
Desistē litteratē  
Hoc alveare turbāe,  
Quae mella stipat, olim  
Certo tibi futura  
Quod senties, honori  
Et patriae saluti.

Partem tui laboris  
Curāq; sustinebit  
Pingzerus ille canis  
Caput ob situs capillis,  
Et corpus asperata  
Jam tardior senecta  
Sed interim sagacis  
Alacritate mentis,  
Scientiaq; rerum  
Usuq; tot per annos  
Et omnis expedita  
Virtutis aequitate  
Nulli secundus inter  
Mystas sacræ Themistos  
Seu sint juvencolorum  
Seu Principes virorum.  
Quin jam satis viarum  
Duro datum labori  
Periculisq; , magno  
Te subditi reposcunt  
Ardore, te requirunt,  
Et pluribus volentem  
Precibus D E U M fatigant

Ut sit tuus fidelis  
Comes profectionis  
Totūq; ducat agmen,  
Et prævius reducat.

Tum concinent sonora  
Pæana voce lœti  
Thuringiæ popelli,  
Quorum recumbit in te  
Spes omnis, & suarum  
Tutela certa rerum.

Tum vortices, maligni  
Qui te verentur Ilmi,  
Et turbines aquarum,  
Qui tot dedere strages  
Tot perdidere villas  
Tot obruere campos  
Tot abstulere vitam  
Animantibus profundis  
Quae mersa sunt in undis,  
Licentiæ novellæ  
Iræq; pœnitibit.

Tum plurimi Poëtæ  
Audaculi Poëtæ  
Dicaculi Poëtæ  
Bibaculi Poëtæ  
Jungent equos vehiclit  
Et multa plausta mittent,  
Cadmi quibus nigellæ  
Vinclis tamen ligatæ  
Et metris catherinis  
Gnatæ, nec invenustæ  
Ad cornei quietam  
Saxi vebentur aulam.

Wolfgangus Heider, M.

subjectiss. gratitudinis ergo.

# PARODIA HORATIANA

## ex lib. III. Oda IV.

**R**evise JENAM regnaq; dulcia,  
illustre longum SAXONIDUM decus,  
& cede, JAN-ERNESTE, votis  
supplicibus, placitoque Phœbi,  
Audis? Vel an nos ludit amabilis  
persuasio? Audire & videor novos  
lustrare per campum caballos  
qui comites referunt DUCEMq;.

**T**e Galliarum è sedibus inclutis  
altricis intra tecta Thuringia  
dumis fatigatumque cœlo  
laude catâ excipient Poëta

**V**ersuque. Magnus quod venis omnibus  
quicunque celsas Lutetia domos  
saltusque Normannos, & arvum  
pingve tenent celebres Britanni,  
& tutò ab atris Invidiae labris  
dormire tutus, nec premier vafrâ  
ambage, suspectoque vultu  
non sine DIS animosus HEROS.

**P**RINCEPS, Camœnæ te miserabiles  
tandem reposcunt, respice prospero  
fato clientes sive Galli  
seu faciles placuere Belgæ.

**P**RINCEPS, amicos fontibus & choris  
non hîc labores plurimi agent retrò,  
non temporis consumet angor,  
non Siculo Nimerodus ausu.

**Q**uocunque Musis astiteris libens  
insanientes fulmine lurido

spernet.

spernet calores corde, semper  
 artibus immoriens juventus.  
**V**is et theatrum discipulis favens  
 multoque lætum flumine nectaris,  
 viset catenatos amores  
 & Charitum benè docta classem.  
**T**u solus altas auxilio tuo  
 dudum sorores præ nimio metu  
 finire quærentes laborem  
 Pierio recreabis antro.  
**T**u lene consilium & dabis, & dato  
 gaudebit Orbis. Scimus ut hactenus  
 Parnassi ad hortos efficaci  
 numine compuleris juventam.  
**T**u mentem inertem cordaque temperas  
 ventosa, & artes regnaque Musica,  
 Phœbosq; subjectamque pubem  
 imperio regis unus æquo.  
**M**agnum illa terrorem intulerat gregi  
 fidens juventus, ensibus horrida,  
 fratresque conantes opimas  
 rumpere divitias honesti.  
**S**ed quid Mamurus quid validus Dromo  
 aut fervidis quid Rhinoceros minis,  
 quid Stentor, evulsiisque saxis  
 Porphyryon jaculator audax  
 contra paratam Regis epomida  
 possent ruentes? Hinc cupidus stetit  
 JEHOVA Legum assertor, illinc  
 nunquam animo positurus artem,  
 quærore puro Politices beat  
 mente sagaces, quæ Historiæ tenet  
 carecta, natalesque dotes  
 egregius pietate PRINCEPS.  
**V**is Consill' ingens mole viget suā  
 & temperatos provehit impetus

in majus

. 2 1 M I I

in majus auctor J O V A , & odie  
grande nefas animo moventes.

Testis tuorum res Academica  
dudum laborum, testis & integræ  
tentator insulsus Themistos  
suppicio domitus severo.

Soluta monstris J E N A canit suis  
gaudetque fratres fulmine perditos  
missos ad Indos, nec peremit  
arbitrium malus error æquum,  
Incontinentis nec socii jecur  
relinquet ales nequitiaæ additus  
tortor scelestæ, sed nocentes  
perpetuus cohibebit ultor.

*Humilimæ subiectiouis ergo*

F.

*Sagittarius.*

V.

**A**ppropera ! appropera ! D U X inclyte : patria tellus  
Te cupit, & palmâ Te præstolatur utrâq;  
Tu modò J H O V A H Duci Dux prævius esto ; ministrent  
Aligeri juvenes, gens J H O V A E hominumq; ministra.

Quattuor explevit Natali hâc lampade lustra,  
Undecimásq; capit PRINCEPS Rectoris habens.  
Hus lustris superadde rogo compluria lustra ;  
Et curas sacras quas divô in pectore volvit,  
Pro verbi doctrinâ, incrementoq; Lycéi,  
Promove in augmentum, fotu Spiraminis almi.

O J H O V A H ! ô nostras res respice ! respice vota !  
Vota quibus flexô Te poplite cernua adorat  
Musula, Salanô per Te nutrita salictô.

Deb. subjectionis  
ergo F.

M. Balthasar Gualtherus,  
S. Lingg. Profess.

E I N I S.

## VI.

**S**plendida bis sextum cape nostri sceptrum Lycæi  
**J**ANN-ERNESTE manu facilis, vultuq; benigno,  
 Saxonicae stirpis flos ô pulcerimè! Regno  
 Dignus eras vasto; qui florentissima regna  
 Lustrasti modo; **D**EUTLEBIO ductore, Magistro  
 Morum prudenti, fido socioque laborum  
 Sint hæc opto Tibi magni præludia regni  
 Sceptrum Scholæ nostræ, quæ gestas optime Princeps;  
 Dum redeas salvus, forti Comitatus Achatæ,  
 Atque viæ reliquis sociis, lectisq; ministris.  
 Tunc tibi cervices submiserit **I**L M U S; & altis  
 Spumans Sala undis **D**O M I N U M te dixerit alnum.

Humilimæ subjectionis ergò scrib.

**J**oannes Zölner, bonarum artium Magister,  
 ac P. P. in Salanâ.

## VII.

**S**ol veluti parteis mundi diffundit in omneis  
 Splendoris radios, atq; illis calfacit ima:  
 Sic **J**AN-ERNESTU S prælustris & inclitus **H**EROS  
 A nostrâ quamvis siet absens corpore **J**EN A;  
 Virtutis radios parteis diffundit in omneis,  
 Atq; suis sceptris **J**EN A M facit hancce valere.  
 Sic ergò valeas usq; Illusterrime Princeps,  
 Ut per te valeat feliciter usq; Salana,  
 Floreat atq; simul, data que tibi patria terra.

sic volebat

humilimo animo

**M. Michaël Wolfius, Physices Prof. Publ.**

B

Alteras

## I X.

**A** Ltera nunc redeunt revolutis mensibus anni,  
Sollenni celebrata die comitia, quando  
Permutat fasces Academia nostra, novoque  
RECTORI imperii summam cum nomine defert;  
Ex quo summus abes R E C T O R, peregreque moraris  
Hospes in ignotis regionibus, optime Princeps,  
JOANNES ERNESTE, tuæ gentisque solique  
Immortale decus, fratrum pulcherrima stella.

Jamdudum absentem cupidis vestigat ocellis  
Patria, & exsangues curis depascitur artus,  
Pro te, proque tuis sociis, ne forte sinister  
Ingruat eventus, cœlumque resolvat in imbris,  
Aut mare pacatum turbet mordentibus Euris.  
Gnara peregrinis in finibus, undique summos  
Quot mala circumsterit proceres, quid possit Erynnis  
Livida, & insidias quantas sœpe exspuat ore.

Ac ut Sponsa suum, nimio quæ saucia amore  
Pectus, inextinctis turget præcordia flammis,  
Suspirat Sponsum, procul in regione remotâ  
Absentem, hunc unum vario sermone requirit,  
Perdius huncque vocat, pernox hunc somniat unum:  
Sic orbata suo R E C T O R E & P R I N C I P E, noctes  
Salana insomnes dicit, sic angitur ægra,  
Et desiderio coquitur, te supplice voto  
Cœlicolas poscit, supplexque advolvitur aris,  
Thura precesque D E O libans, nec demovet illinc,  
Unde suum sperat fulsurum fidus, ocellos.

Sat Gallis Anglisque datum, jam quidquid in orbe  
Hesperio dignum est lustrari, natio quidquid  
Teutonicæ grémio telluris continet amplio,  
Hoc tua lustravit vigili sollertia cura.

Inspecti varios hominum moresq; animosq;  
Lustrasti innumeratas urbes, quid distet ab Anglo.

Gallus,

Gallus, & in cunctis quæ sit Republica muris?  
 Quis status imperii? quis limes dividat oras  
 Distinctas procerum? quæ cuique potentia genti?  
 Unde Ithaco quondam prudentia crevit Ulyssi,  
 Notum est omne tibi, nota & cum pectore lingua.

Ergo redi, spectasse velis, non perdidicisse  
 Externos mores, jam provida mater & omnes  
 Exspectant reducem fratres, votisq; requirunt,  
 Narraturum & iter, longiq; pericula tractus,  
 Et varios casus, ut Rex te exceperit ipse  
 Hospitio, atque suis ut te Regina choreis  
 Convivam admirit, quo te decorarit honore  
 Circumfusa Ducum pubes, celebri excita fama  
 Saxonicae gentis, quam felix alea nuper  
 Cæsaris arbitrio ludi clararat equestris,  
 Atque etiam externo sat notam fecerat orbi.

Quantum est hoc, Princeps! virtus exotica quod te  
 Suspicit, atque tuum numen sollenibus ambit  
 Obsequiis! quod nec cuvis contingit habere,  
 Id tibi sponte datur, nec permutare favorem.  
 Divitiis Crœsi cuperes, tam nobilis ardor  
 Est tibi discendi, laudisque immensa cupido,  
 Huic ut postponas discrimina mille viarum.

At nobis nil dulce sapit sine Principe, gratum  
 Nil sine R E C T O R E est, conjuncta est nostra saluti  
 Fortunæque tuæ, parcas nobisque tibiique,  
 Et lucem patriæ reddas, tuus instar amœni  
 Veris, ubi vultus terris affulxit amatis,  
 Sol melius splendet, spirant jucundius auræ.  
 Gratiior itque dies, & mollia secula currunt.

Hinc tibi bisextâ vice frena Academica rursus  
 Deferimus, petimusque humiles, ne calculus iste  
 Displiciat, nostri aut spernas suffragia puncti,  
 Majus ad imperium mox incrementa datura.

Sic tibi felices ventos facilesque precamur;  
 Quidquid & astrorum in cœlo est, geniique secundi,

Ut matuta ornet nostras præsentia pompas.  
 Nos vota interea pleno cumulabimus ore,  
 Et venam Aoniis animabimus imbris omnes,  
 In reditum, Dux Magne, tuum, Regique Jehovæ  
 Dicemus summas magno conamine grates.

*Ex devotiss. affectu fundebat*

**Joannes Gryphiander,**  
*Histor. & Poës. Prof. P.*



I X.

**E**T jam tempus adest, Princeps Celsissime nostro  
 reddaris gremio, tellus satis admiratur  
 extera virtutes, & fortia facta celebrat.  
 Nec plus absentem jucundus sustinet Ilmi  
 irrigui affectus, uterum ipsa doloribus implet  
 Sala, quis, ingeminans, te Dux pie, detinet? Ergo  
 JAN-ERNESTE redi sospes rerumq; potire,  
 Te Patrem Patriæ dudum plebs subdita poscit.

*Devotæ subjectionis ergo*

F.

**M. Samuel Schwangeli**  
*Coll. Phil. Adjunct.*





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-39195-p0014-5

DFG

